

iniquitatem et inueteratam malitiam terra noluerat | amplius sustinere. Quare naues eorum impetu et uehementia tempestatis ad terram sunt repulse, quibus confractis | sarcina et onus totum submersum est. Quia igitur, dilecti in Domino filii, predictus Roll(andus) et eius complices per pseudo | predicatorum orthodoxorum corda conantur peruertere, prudentiam uestram et dilectionis constantiam, quam | pro nostro et sacrosancte ecclesie Romane seruitio efficaciter hucusque laborasse dinoscimus^e, attente rogamus | et plurimum in Domino exhortamur, quatinus, sicut de uestra prudentia confidimus^f, quam^g sincera in Domino caritate complectimur, conatus predictorum scismaticorum studeat omnimodis reprimere et adnichilare. Ad hoc enim laborant, ut pro maximo debito, quo tenentur astricti, soluendo et insatiabilis sue auaritie fame replenda ecclesias expolient, | rapacitates consuetas et simonias exerceant et scrinia et manticas suas, quas pro perpetrandis in Urbe homicidiis | euacuarunt^h, modis quibus possunt inpleant, inter regnum et regnum odium perpetuum conflaturi.

Dat. Cremone XV. kal. decemb.

e) dinosimus *Rohde*

f) confidimus *übergeschrieben*

g) qua *Rohde*

h) euacuarent *Rohde*.